



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

Comitatus Ruscinonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

rem prosperè in Mauros gestam ditionem ad Fl. Aragonem recepit à Rege sub iure clientelæ, & nomine Comitis. Sub Sancio Magno Regnum institutum est, datumque primò Ramirio Regis notho, qui postea regna Sobarbiæ, & Ripargorziæ, eidem regno coniunxit, ex quibus hoc maximè censetur coaluisse. Porro fuit modò Nauarræ, modò Castellæ vnitum, aut separatum. Donec sub Ferdinandō V. & Isabellâ Magnum Hispaniæ regnum cum Castellâ confluit. Regio quâ Pyrenæum attingit satis fertilis, & rigua, versus Castellam siccior, & penè deserta; ferro optimo abundat.

### § 10. Regnum Catalaniæ.

A Gothis & Alanis in eâ sedes coniungentibus nomen accepisse creditur, à quibus Gothalania dicitur, à Mariana Catalaunia. Regio egregiè rigua, & quibusdam in locis satis fertilis. Per Martellum, & Francos defensa ab iisdem Comites accepit, qui Barcinoenses appellabantur. Perpetuum habuit primum, Godefri-dum cognomento Hirsutum *le Velt*, cùm is se fortem præstisset Carolo Crasso in bello Nortmanico; eâ lege tamen ut Franciæ clientelaris esset. Nihilominus Raymundus Berengarius, postea dictus Alphonsus cùm duxisset Reginam Aragoniæ Comitatum suum huic regno coniunxit reclamantibus Gallis: donec per Philippum Audacem lis composita. Hic enim Aragonis filiam vxorem duxit, & ius patronatus abalienauit, dummodo ut Rex Aragonius iure cederet earum ditionum, quas sibi in Galliâ vindicabat. Barcino seruat aliquam Reip. formam. Magna autem pars Catalaniæ imitata suam Metropolim, ad Gallica sceptra sponte transiit. Huius pars ante paucos annos habebatur

### Comitatus Ruscinensis.

Eivs Comes nominatur Gerardus, qui cùm sine liberis mortuus esset, obuenit Raymundo, seu Alphonso Aragonum Regi. Sed postea Iacobus Aragonius hunc pecuniâ, & auxilio vendidit Ludouico X I. in Catalanicis tumultibus. Restituit eam Ferdinando Aragonio Carolus VII I. eâ conditione ut Neapolitanos Reges affines eius non iuuaret, in quos bellum parabat. Sed promissis non stetit, & quod offerebatur accepit. A Lud. XIII. for-

Nn ij

§ II. *Regnum Maiorice.*

ANTEquam illas Insulas inuaderent Mauri in publicâ Hispaniæ calamitate, à Pisanis administrabantur. Cùm ergo his Saraceni diu potiti essent, Iacobus Rex Aragonum hinc eos eiecit, & Regno adiunxit suo. Sed postea assignat sunt cum titulo Regio alteri Iacobo fratri Petri Aragonij, qui ex iis fratrem expulit, & Aragonio regno denuo coniunxit.

§. 12. *Valentiæ Regnum.*

MULTOS annos à Mauris Hispaniæ dominis occupatum est, tandem iisdem erectum per Iacobum Aragoniæ Regem, expulso Rege eius Saraceno Zahele. Nunc per Proregem administratur. Valencia verò quasi sui iuris Reip. formam exhibet.

§. 13. *Regnum Nauarræ.*

NOMEN habere dicitur à voce Hispanica *Naves* quæ *Plani-*  
*tiem*, & *Cantabrica Erria* quæ *terram* sonat. Licet aliqui credant  
*Naves* significare agros sepibus circumdatos, quales hic multe re-  
periuntur.

Quemadmodum autem Christiani à Mauris expulsi Ouetanum  
regnum instituerunt in Asturiis, sic ad Pyrenæum montem Prin-  
cipem elegere Garciam Ximenium, qui primus dicitur fuisse Rex  
Sobarbiæ, & Nauarræ. Et in eo perseverarunt Reges usque ad  
Ferdinandum V. Castellæ, & Aragoniæ Regem, qui abusus in-  
terdicto Pontificio Iulij II. Ioannem Albretum, & Catharinam  
Fuxensem regno expulit, idque adiunxit Castellæ. Itaque ab eo  
tempore tota *superior* Nauarra paret Hispano, *inferior*, & minor  
portio Gallico sceptro per Henricum Magnum legitimum huius  
Regni heredem coniuncta est. Regio magna ex parte sterilis, cui  
vastitatem Hispanus intulit quæ partem Gallicam ditionem strin-  
git: ne Pompelonem regni caput petere queant Franci, ut ali-  
quando fecerunt.